Handschrift

Seite 19v

Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8293
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek



in vicesimum p.m

preueniens leuiget · ac bone actionis meritum differendo ad deteriora permittet ·

a ciendum quoque est quod aliquando subditorum vitia prudenter dissimulanda · Sed quia dissimulantur iudicanda · aliquando et aperte cognita mature tolleranda · aliquando non subtiliter et occulte perscrutanda / aliquando leuiter arguenda / aliquando autem vehementer increpanda · Nonnulla quippe vt diximus prudenter dissimulanda sunt · Sed quia dissimulantur iudicanda · Vt cum delinquens et deprehendi se cognoscit · et perpeti has quas in se tacite tolerari considerat / augere culpas erubescat · seque se iudice puniat · quem sibi apud se rectoris pacia clementer excusat · Qua scilicet dissimulacione bene iudeam dominus corripit · tamen per prophetam dicit · Mentita es et mei non es recordata · neque cogitasti in corde tuo quia ego tacens · et quasi non videns · Et dissimulauit ergo culpas et innotuit · qui et contra peccantem tacuit · et hoc ipsum tamen quod tacuit dixit · Nonnulla autem vel et aperte cognita mature tolleranda sunt · cum videlicet rerum minime oportunitati congruit · Vt aperte corrigantur · Nam secta immature vulnera deterius inferuescunt · et nisi cum ipse medicamenta conueniunt · constat proculdubio quod medendi officium amittant · Sed cum ipse subditis ad correpcionem queritur · Sub ipso culparum pondere paciencia presulis excercet · Vnde bene per psalmistam dicitur · Supra dorsum meum fabricauerunt peccatores · In dorso quippe onera sustinemus · Supra dorsum igitur suum fabricasse peccatores queritur · Ac si aperte dicat · Quos corrigere nequeo quasi superimpositum onus porto · Nulla sunt autem occulta subtiliter perscrutanda · Vt quibusdam signis erumpentibus rector in subditorum mente omne quod clausum latet inueniat · Vt interueniente correccionis articulo · ex minimis maiora cognoscat · Vnde recte ad ezechielem dicit · Fili hominis fode tibi parietem · aparuit vnum ostium · et dixit ad me ingredere et vide abhominaciones pessimas quas isti faciunt hic · Et ingressus vidi · Et omnis similitudo reptilium · et animalium · et abhominacio et vniuersa domus israhel ydola depicta erant in pariete · Per ezechielem quippe prepositorum persona designatur / per parietem duricia subditorum · Et quid est parietem fodere nisi acutis inquisicionibus duriciam cordis aperire / Quam cum perfodisset aparuit ostium · quia cum

mox idem propheta subiungit
cum fodissem parietem